

XXXVIII. Et multum valet inculcandi modus apud animos Aulica dignitate tumidos, si legant vel inter se colloqui Ministros, vel ad Regem deferri modesta iudicia. Quippe dum arcana & abstrusa se observasse opinantur, idem habent, quod Lipsius, Boxhornius, Conringius, Forstnerus, Bœclerus & innumeri alii in suis libellis jam dudum habuerunt: ac adeo discunt quasi nescientes.

XXXIX. Speculativas Quæstiones non attingit, nisi quod *Lib. I. c. 15.* vexatam movet controversiam de Prærogativa Monarchiæ & Polyarchiæ, ut & alteram de regno successivo & electio: quæ tamen sub tumultibus Gallicis ita fuerat practica, ut jam essent nonnulli, qui disputando Regis thronum facerent dubium. Et quia Lycogenem falsis inhæsisse Principiis refert, tacite arguit Monarchomachorum placita multis arrisisse, non ut prodesse regno, sed ut obesent Regi. Tamdiu enim Majestatem Lycogenes credebat impugnandam, donec ipse Majestate impetrata cuperet esse inviolabilis.

XL. Ut vero ad Barclaji Politicam accedamus propius, Tria sunt quæ post prima Libellorum Systematicorum elementa merentur proponi, 1. ipsa Prudentiæ Consilia, de negotiis in Rep. suscipiendis. 2. Notitia Personarum in qualicunq; Dignitatis gradu collocatarum. 3. Consuetudo inter Gentes præsertim in Aulico Splendore passim recepta.

XLI. Consuetudines Aularum ipse, si quisquam alius accurate observat, quoties de excipiendis peregrinis, de honorandis Legatis, de solenni admissione, aliisque ceremoniis dicere instituit, vel ut pauca sufficiant Exempla, quam sedulo innuit, Meleandrum, accedente Lycogene, cum filia simulasse colloquium, donec is tertio venerationis ac incurvationis cultu defunctus, quasi nunc demum visus hilari fronte exciperetur. Ita Gelanorus Poliarchi Legatus, cum putaretur dignitatem Regiam minus respexisse, talionem hanc experiebatur, ut dimitteretur sine donis.

XLII. Et profecto, qui non ita pridem curiosum Wicqvesfortii Scriptum de Legato perlustravimus, pauca sane vidimus capita, quorum vestigia non lateant in Argenide, ut adeo è clarioribus Legatorum historiis velut eleganti commentario illustrari queat profunda rerum & consuetudinum notitia, qua viguit Barclajus.

XLIII. Notitia personarum, quas ex diverso Statu vel gradu scimus inclinare in naturam plane diversam, ut adeo variis consiliis sit opus,
fi